

tas emendaverat Lorenzius Philol. vol. 30 (a. 1870) p. 578 sqq., 32 (a. 1873) p. 270 sqq., 406 sqq., iterum excussit in meum usum Augustus Mau, cuius collatio exceptis paucis quibusdam locis Lorenzii lectiones confirmat: ubi id minus fiebat, Mauium secutus sum: sed discrepantiae, si a locis aliquot, quibus Lorenzium errasse certum est, discesseris, leviores sunt. Vna tamen in re magis discedit Mauius et a Ritschelio et a Lorenzio: nam cum illi duas in hac fabula correctorum manus distinguere soleant praeter Camerarii manum recentissimam, hic correctiones omnes eadem nota complexus secundae manui assignare maluit: Ritschelii certe rationem, qua singulas scripturas inter secundam et tertiam manum distribuit, praefracte negavit probari posse: aut omnes aut paene omnes correctiones eiusdem manus esse et oculos docere et ex eo apparere, quod in posteriore parte fabulae simul omnes deessent. Cuius viri experientiae ac iudicio obtemperandum fuit. Ceterum moneo Ritschelium quoque correctionum longe plurimas manui secundae, tertiae non ita multas adscripsisse. — Codices Decurtatum (*C*) et Ursinianum (*D*) summa cura excussit Fridericus Schoell: cuius adnotationibus non video quid addam nisi unum: in *D* praeter duas correctrices manus etiam tertiam saepius eum discrevisse, quam ubi commemoravi ne cum *D²* aut *D³* confunderetur, simpliciter ‘aliam manum’ correxisse dixi.

Praeter hos autem libros Ritschelius, ‘ut exempla extarent’, in scaena prima, ex parte etiam in argumentis metricis, ex codicibus *E G H K L M N P*, in paenultima et ultima ex *X Y* lectiones attulit, quos libros partim in praefatione Triummi, partim in huius fabulae editione accuratius descriptis: quae exempla cum satis videretur si in proecdosi extarent, nunc et lectiones et descriptiones omisi. Eorundem autem codicum noviorum auctoritatem cum minime superent ‘Vaticani’ illi Lipsii, quos Ritschelium secutus saepius in apparatu commemoravi, etiam quae de his disputata sunt omisi: praesertim cum summam eorum quae ibi exposita sunt ipse Ritschelius Opusc. vol. II p. 20 adn. complexus sit. Disputationem autem de interpolatione noviorum librorum iterare nequivi nisi ratione habita eorum, quae recentissimo